



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De crucifixione religiosorum, cap. 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

intelligo: subiunxit Dominus: Hi soli ex omni con-  
gregatione mecum crucifixi sunt, meae passioni vitam  
suam conformantes. **APOLLONIVS**: In quo se illi con-  
formauerunt? **CÆSARIVS**: Vtique in obedientia, in  
patientia, in humilitate, in abrenuntiatione totius  
proprietatis propriæque voluntatis: hæc, & his simi-  
lia, monachos martyres faciunt, in quorum persona  
**Psal. 43.** per psalmistam dicitur: Quoniam propter te morti-  
ficamur tota die, estimati sumus sicut oues occisionis.  
Ecce crux, de qua in Euangelio dicit ipse crucifixus:  
**Matt. 10.** Qui non tollit crucem suam quotidie, & sequitur  
**Luce 9.** me, non est me dignus. Non dicit semel, sicut Petrus:  
sed quotidie, sicut Antonius. Sicut didici nuper a præ-  
dicto monacho, omnes illi quindecim adhuc viuunt,  
excepto vno, qui iam dormiuit in Domino. **APOL-  
LONIVS**: Nemo claustralium visionem hanc igno-  
rare deberet. **CÆSARIVS**: Verum dicis, quia mul-  
ti putant se esse monachos, & non sunt, ore & non vi-  
**Gala. 46.** ta, dicentes cum Apostolo: Mihi autem absit gloriari,  
nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem  
mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. **APOLLO-  
NIVS**: Dic quaeso quomodo sit nobis intelligendum,  
**Gala. 5.** quod idem Apostolus dicit: Qui autem sunt Christi,  
carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs?  
**CÆS.** Secundum præcedentia videtur sic intelligendum.

## CAPVT XIX.

**A**postolus enumeratis operibus carnis, cum  
exposuisset fructus spiritus, subiunxit: Qui  
autem sunt Christi, &c. Duplex est religiolo-  
rum crucifixio, hominis interioris per alienam com-  
passionem; & hominis exterioris per propriam carnis  
mortificationem. Crux dicitur à cruciatu: crux mo-  
nachorum rigor ordinis est, tum propter vigilias &  
orationes, tum propter ieiunia & castigationes, tum  
propter silentium & opera manuum, tum propter carnis con-  
tinentiam & vestimentorum stratiq; duritiam. Qui autem  
**Gala. 2.** sunt Christi? qui cum Apostolo dicere possunt, Chri-  
sto confixi sumus cruci: Carnem suam crucifixerunt,  
id est cruci affixerunt, cum vitijs operum & concupis-  
centi-

cētīs desideriorum pugnantes: nec ponuntur illi duo  
genitui plurales instrumētaliter, sed passiuē, eo quōd  
per virtutes in carnis maceratione mortificentur.  
Tres clauī, quibus corpus monachi cruci debet esse  
affixum, tres sunt virtutes, per quas teste Hieronymo  
martyres efficiuntur, scilicet obedientia, patientia,  
humilitas: manum monachi dextram configat obe-  
dientia sine murmuratione, sinistra patientia sine si-  
mulatione; clauum obedientiæ impellat amor su-  
pernæ libertatis: clauum patientiæ, timor pœnæ ge-  
hennalis. Pedes illius vera humilitas configat, vt non  
solum prælatis, sed & fratribus se propter Christum  
subjiciat, vt dicere possit cum Psalmista: Humiliatus  
sum vsque quaque Domine. Et in alio loco: Imposui  
tibi homines super capita nostra. Duo pedes duplex est  
superbia, mentis scilicet & corporis: & licet superbia  
caput sit omnium vitiorum, non tamē incongruē per pe-  
des, qui in fine sunt partes corporis, quādoq; designa-  
tur: q̄ enim valde odimus & dispicimus, hoc pedibus  
cōculcamus: vnde Iosue filijs Israel: vt colla regū cal-  
carēt, præcepit. APOC. Satis mihi placet q̄ dicis, nūc  
residuas Dominicæ passionis visiones explana. CAS.  
Quōd Dominus suā passionē nūc ad consolationem  
nūc ad correptionē iustis ostēdat, præstō est exēplum.

## CAPVT XX.

**C**onuersus quidam apud nos ante annos ali-  
quot defunctus est, vir bonus ac timoratus,  
nomine Conradus, ipse est, qui vidit in dorso  
fratris Wilhelmi serpentē, cū in choro dormiret, sicut  
dictū est in distinctione quarta ca. 32 Hic tēpore quo-  
dā, cū in domo nostra Dollin dorp, cui præerat, so-  
lus esset, & magnū cordis sui defectū sentiret, ait intra  
se: Och miser, debes sic mori sine homine? Vix verba  
finierat, & in extasim ruens, ecce Saluatorem coram  
se in cruce pendentem vidit, qui ait: Conrade vides  
quanta propter te sustinuerim? Moxq; post verba cō-  
solationis adiunxit: Omnia opera tua bene placent  
mihi, vno tamen excepto. Quibus dictis, Conuersus  
ex visione tam solutifera confortatus ad se redijt, &  
cūm

Psal. 118

Psal. 65.

Iosue 10

*Christiana  
passus in  
terrena  
ad conso-  
lationem  
aliquan-  
do ad cor-  
reptionē  
apparet*